Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sophonias: prologi

urn:nbn:de:bsz:31-42065

amico suo mittens fel suum et inebrians
ut aspiciat nuditatem eius. Repletus
es ignominia pro gloria. Bibe tu quoque et conso-
pire. Circumdabit te calix dextere domini
et vomitus ignominie super gloriam tuam.
Quia iniquitas libani operiet te et va-
stitas animalium deterrebit eos de san-
guinibus hominis et iniquitate terre
civitatis et omnium habitantium in ea. Quid
prodest sculptile quia sculpsit illud fictor
eius conflatile et imaginem falsam
quia speravit in figmento fictor eius ut
faceret simulacra muta. Ve qui dicit
ligno expergiscere. surge lapidi tacenti.
Numquid ipse docere poterit. Ecce iste co-
opertus est auro et argento et omnis spiritus
non est in visceribus eius. Dominus autem in tem-
plo sancto suo. sileat a facie eius omnis terra.

Domine audivi auditionem III
tuam et timui. Domine opus tu-
um in medio annorum vivifica illud.
In medio annorum notum facies cum ira-
tus fueris misericordie recordaberis. Deus ab austro
veniet et sanctus de monte pharan. Operuit
celos gloria eius et laudis eius plena est
terra. Splendor eius ut lux erit. cornua
in manibus eius. Ibi abscondita est
fortitudo eius. ante faciem eius ibit mors.
Egredietur dyabolus ante pedes eius.
Stetit et mensus est terram. Aspexit et dis-
solvit gentes. et contriti sunt montes seculi.
Incurvati sunt colles mundi ab itine-
ribus eternitatis eius. Pro iniquitate vi-
di tentoria ethyopie. turbabuntur pel-
les terre madyan. Numquid in fluminibus ira-
tus es domine. aut in fluminibus furor tuus
vel in mari indignatio tua. Qui ascen-
des super equos tuos. et quadrige tue
salvatio. Suscitans suscitabis arcum
tuum. iuramenta tribubus que locutus es.
Fluvios scindes terre. viderunt te aque
et doluerunt montes. gurges aquarum
transiit. Dedit abyssus vocem suam.
altitudo manus suas levavit. Sol et
luna steterunt in habitaculo suo. in luce
sagittarum tuarum ibunt. in splendore
fulgurantis haste tue. In fremitu
conculcabis terram. in furore obstupefa-
cies gentes. Egressus es in salutem populi
tui. in salutem cum christo tuo. Percus-
sisti caput de domo impii. denudasti
fundamentum usque ad collum. Male-
dixisti sceptris eius. capiti bellatorum
eius venientibus ut turbo ad dispergen-
dum me. Exultatio eorum sicut eius
qui devorat pauperem in abscondito.
Viam fecisti in mari equis tuis. in
luto aquarum multarum. Audivi et con-
turbatus est venter meus. a voce con-
tremuerunt labia mea. Ingrediatur
putredo in ossibus meis. et subter me sca-
teat. ut requiescam in die tribulationis
mee. ut ascendam ad populum accinctum
nostrum. Ficus enim non florebit. et non erit ger-
men in vineis. Mentietur opus olive.
et arva non afferent cibum. Abscidetur
de ovili pecus. et non erit armentum in pre-
sepibus. Ego autem in domino gaudebo. et
exultabo in deo ihesu meo. Deus dominus for-
titudo mea. et ponet pedes meos quasi
cervorum. Et super excelsa mea deducet
me victor in psalmis canentem.

Explicit Abacuc. Incipit prologus Sophonie.

Tradunt [in prophe]
hebrei cuiuscumque
prophete pater aut a-
vus ponatur in titu-
lo. ipsos quoque prophetas fu-

se iude · et amos unum de xii · prophetis qui
dicit · non sum propheta nec filius prophete
sed pastor caprarum vellicans sicho-
moros · sicomorum patris nomen in titulo
non habent. Hec si ita est sophonias propheta
qui nomine · ut ita dicam prophetico
et glosa maiorum suorum stirpe genera-
tus est. Huius enim patrem chusi · avum godo-
liam · proavum amariam · atavum
ezechiam · et talem quadrigam ipse
velut extremus auriga complevit.
Nomen sophonie alii speculam alii
archanum domini transtulerunt. Hic
ergo speculam siue absconditum domini
interpretatur · utrumque prophete convenit. Dicitur enim
et ad ezechiel · Fili hominis · speculato-
rem te posui domui israel. Iste ergo propheta
qui erat in specula et in sublimibus constitu-
tus · et noverat mysteria domini · filius erat
chusi · qui interpretatur humilitas. Habe-
bat et avum godoliam · qui dicitur magni-
tudo domini · et proavum amariam · qui et
ipse vertitur in sermonem domini · et atavum
ezechiam qui sonat fortitudo domini.
De fortitudine itaque domini natus est
sermo domini · et de sermone domini nata
est magnitudo · et de magnitudine dei
nata est humilitas · ut cum perfectus
aliquis ad perfectum dicat · Quia non sum
dignus vocari apostolus · Et illud in psalmis
Domine non est exaltatum cor meum · n · e · s · o ·
m · Josiam regem iude cuius temporibus
sophonias prophetasse dicitur · de quo
omnibus regibus iude placuisse ystoria
a quarto libro regum et secundo paralipomenon
demonstrat · Josias omnia simulacra que
pater suus amon vel avus eius manasse
in templo dei collocaverant · delecta com-
minuisse monstratur. Inter que etiam ser-
pentem eneum a moyse factum · cui errori
deditus populus superstitione ydolorum detentus
administrat. Id est custodisse pascha etiam te-
missimum temporibus multis solus celebra-
re firmatur. Idcirco deus per prophetam temporibus
memorati regis · que peritura erant o-
stendens gentibus lectione quidem comprehen-
sis affuturum iudicium · post ruinam israel salu-
tem et civitatem ierusalem restaurationem et
templis tribuenda textus lectionis denunciat.

Specu ·Item prologus· [illegible]-
lator sophonias et archa-
norum dei cognitor audit
clamorem a porta piscium
et eiulatum a secunda · et contritionem a
collibus · Indicit quoque ululatum habita-
toribus pile · quia conticuit omnis populus ca-
naan · dispersi sunt universi qui involu-
ti erant argento. Incipit Sophonias
propheta.

Verbum domini
quod factum est
ad sopho-
niam filium
chusi · filium
godo-
lie · filii a-
marie · filii ezechie · in diebus iosie filii
amon · regis iuda. Congregans congre-
gabo omnia a facie terre · dicit dominus · congre-
gans hominem et pecus · congregans vo-
latilia celi · et pisces maris. Et ruine
impiorum erunt · et disperdam homines a
facie terre · dicit dominus. Et extendam ma-
num meam super iudam · et super omnes habitato-
res ierusalem. Et disperdam de loco hoc reli-
quias baal · et nomina edituorum cum sa-
cerdotibus · et eos qui adorant super tecta
militiam celi · et adorant et iurant in